



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Cap. CVII. De Libellis famosis, & Lettere orbe.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

da; nisi manifestatum fuisset iudicium alicui tacitis levibus indicis; tunc enim deberet se retractare, & admonere eum, cum quo locutus esset, ut & ipse deponeret malam opinionem. DD. apud Bonac. *ibid.*

6. *Quer.* An teneamur dubia in meliorem partem explicare, & actiones, quæ fieri possunt tam in bonum, quam in malum finem, credere, eas fuisse factas in bonum finem? *Resp.* Tenemur explicare dubia in meliorem partem affirmative, non autem affirmative, vel positive; id, quod sit, suspendendo iudicium, ita, ut si non eliciamus opinionem bonam, abstinemus à mala. Exempli gratia, si video Cajum bene comedentem, & bibentem; & iudicavero in corde meo, ipsum sic comedere, & bibere ex necessitate; explicavero dubium in meliorem partem affirmative, & positive. Quod si suspendero omne iudicium, & non iudicavero neque ex necessitate, neque ex gula comedere, & bibere, explicavero dubium in meliorem partem negative. Valentia *tom. 3. disp. 5. quest. 4. punct. 4.* & alii apud Bonac. *d. disp. 2. q. 7. punct. 3. num. 2.* ubi reddit hanc rationem, dicens, quia proximus non habet jus, ut de ipso bene positive iudicemus; sed ne de ipso malè opinemur, quando res est dubia.

7. *Quer.* An dentur casus, in quibus liceat in dubio interpretari actionem proximi in pejorem partem? *Resp.* Affirmative, nempe quando agitur de damno evitando, vel de remedio adhibendo ad præcavendum malum; & hoc non iudicando proximum esse malum positive; sed per quādam suppositionem. Exempli gratia; si Advena hospitetur in domo mea, possum claudere cubiculum, quasi dubitem, illum esse furem, quamvis, non iudicem, nec credam, eum esse furem. Item Maritus videns adolescentem deambulare ante fenestras Uxoris suæ, potest eam removere, vel custodire, ac si ille intenderet amore pravum, & adulterum. Item Prælati potest corrigendo arguere aliquem Clericum, de quo aliqua suspicio detur, quamvis nulla sit certitudo de malo opere; procedendo tamen cum summa prudentia, & abstinendo à mala opinione erga dictum subditum, quia reputari malus non debet ex sola suspitione. Filliucci *tract. 40. cap. 1. quest. 12. num. 21.* & alii apud Bonac. *ubi supra num. 3.*

CAPUT CVII.

De Libellis famosis.

1. *Quer.* Quid sit Libellus famosus? *Resp.* Esse signum, vel Scripturam, qua quis prætendit infamiam alicujus publicam facere, sive ea vera sit, sive non vera. Sylvest. in Summa verb. *Libellus*, Bonacin. *de Re-futur. in particulari disp. 2. q. 4. punct. 9. num. 1. tom. 2. pag. 521.* Unde colligitur, quod non est libellus famosus Epistola privata alicui missa cum manifestatione delicti alicujus, quia est potius detractio, neque si delictum antea publicum quis exprimat per scripturas,

2. *Quer.* An liceat certiores reddere Superiores de delicto alicujus subditi per litteras sine nomine, vulgò *lettere orbe*? *Resp.* Negative, quia per eas Superior non potest devenire ad Inquisitionem, neque ad Processus formationem. *cap. Inquisitione. S. tertio. De Accusationibus.* Thesaur. *de Pen. verb. Libelli famosi*, & dictæ litteræ censentur libelli famosi, quia mittuntur, ut delicta alterius publica fiant. Bonac. *ubi supra num. 5.*

3. *Quer.* Quale peccatum sit, Libellum famosum conficere? *Resp.* Esse peccatum mortale; & conficientem teneri ad famam restitutionem. Sylvest. *Verb. Libellus*, Zechius *de Casibus reservat. casu 17.* Quæ quidem famæ restitutio est facienda, vel per aliam publicam scripturam contrariam, vel per vocem præconis, aut concionatoris. DD. apud Bonacin. *ubi supra num. 8.*

4. *Quer.* An signis tantum dicantur confici Libelli famosi? *Resp.* Affirmative, exempli gratia, si quis appenderet cornua ante ostium alicujus viri ad indicandum, ejus Uxorem esse adulteram. Graffius *de Casibus refer. lib. 1. c. 19. num. 21.*

5. *Quer.* Quæ sint pœnæ statutz de jure in foro exteriori contra conficientes Libellos famosos? *Resp.* Reus libelli famosi, sequuta sententia condemnatoria, efficitur de jure infamis. 1. *Ob carmen*, ff. *de Testib. cap. Si testes*, 4. *quest. 3.* & subinde remanet irregularis. Majol. *de Irregular. lib. 3. cap. 1. num. 15.* Secundò assumenda est inquisitio judicialis contra formantes Libellos famosos, & litteras orbas scribentes. Gloss. *in dict. S. Tertia. Verb. in Occulto. De Accusat. Roderic. quest. regul. lib. 6. art. 10. tom. 2.* Tertio compelli possunt per censuras Ecclesiasticas, seu monitorias ad propalandum seipso, ut vel crimen probent, vel famam restituant diffamatis, ut fecit S. Gregor. Magnus *in cap. Quidam maligni. 5. quest. 1.* ex quo textu Doctores notant, non esse excommunicationem aliquam latam contra tales delinquentes, quia ille est casus particularis, non lex Universalis. Menoch. *de Arbitrar. cas. 263. num. 34. & 35.*

6. *Quer.* An, qui diffamavit aliquem per litteras, ut dicitur, *orbas*; satisfaciatur se retractando, per consimiles litteras orbas? *Resp.* Negative, quando jam delictum invaluit in mentes hominum. Suarez *de Censur. disp. 4. sect. 4. num. 16.* Thesaur. *de Pen. Verb. Libelli famosi.*

7. *Quer.* An in aliquo casu particulari sit aliqua censura lata ipso jure contra conficientes dictos Libellos famosos? *Resp.* Affirmative, nempe si facti sint contra Religionem Prædicatorum, vel Minorum ex Bulla Alexandri Quarti, *Incipit: Ex alto.* Et contra institutum Societatis Jesu: *Ex Bulla Gregor. XIII. Incipit: Ascendente Domino;* Quæ extenduntur per participationem Privilegorum ad omnes alios Ordines. Thesaur. *de Pen. ubi supra;* qui notat, non incurri censuram, si libellus sit contra unum Religiosum particularem, non contra Religionem. Novissimè Pignatellus *tom. 4. consult. 118. num. 19.*

8. *Quer.* An, qui prætendit, se injuste ex-

com-

communicatum, id significare possit per manifestas, seu publicas scripturas? *Resp.* Negative, nisi iniustitia esset omnino evidens. Theaur. *De Pen. part. 1. cap. 22.* Debet enim uti remedio appellationis.

CAPUT CVIII.

De Nono, & Decimo Præcepto Decalogi.

1. *Quar.* Quid prohibeant hæc duo Præcepta? *Resp.* Prohibent desideria mala, & actus internos non rectos; illosque præcipue, qui sunt contra sextum, & septimum Præceptum; ideòque prohibita sunt omnes concupiscentiæ internæ, & delectationes voluntariæ tam circa mulieres, quàm circa bona aliorum. Ita DD. communiter hic.

2. *Quar.* An Ecclesia possit imponere pœnas, & censuras pro peccatis, & desideriis criminosis, in corde tantum existentibus; & pro actibus, & delictis internis? *Resp.* Varias esse Theologorum, & Canonistarum opiniones super hoc quaesito. Alii negant, quia Ecclesia non judicat de occultis, sed ea soli Deo reservantur. *Cap. Consilium, 2. quest. 5. cap. Erubescant. 32. dist. & ibi Gloss.* Ita Salas *de Legib. disp. 9. sect. 2. num. 3. & 6.* Alii affirmant, eò quia actus internus refertur ad externum, & cum eo componit unum in genere mortis; & ob pravam intentionem, agentis, actus externus censetur dignus punitione. Ita S. Thom. *p. 2. quest. 20. art. 2.* Sayr. *lib. 3. Clavis cap. 6. in fine.* Azor. *tom. 1. lib. 5. cap. 10. §. In hac itaque.* Alii distinguunt, & dicunt, vel etiam actus externus est de se malus; vel est de se bonus, & indifferens. Primo casu potest Ecclesia infligere pœnas, & censuras super ista intentione mala, & actu interno. Secundo casu non potest. Ita Navar. *in cap. Mandato, num. 20. de Simonia.* Vasq. *1. 2. disp. 160. Suarez de Censur. disp. 4. sect. 2. num. 19. & seqq.*

3. *Quar.* Quæ sit tutior opinio in dicta materia? *Resp.* Quòd Ecclesia possit ferre pœnas, & censuras etiam super actu interno malo, quando est de substantia actus externi; & hoc, quando pœna, seu censura lata est per modum legis, seu pœnæ conditionalis; ut tenet Azor. *ubi supra,* & docet Theaur. *de Pen. Ecclesiastic. part. 1. cap. 8. per tot.*

4. *Quar.* Qui sint casus, in quibus de jure Canonico infliguntur sunt Censuræ, & pœnæ ob actus malos internos, & occultas intentiones pravas? *Resp.* Esse plures casus; sed hic referuntur nonnulli magis periculosi, & quos scire decet Ecclesiasticum virum. Primus est in *car. Commissa. §. Caterum, de Elect. in 6.* Ubi statuitur, quòd si quis obtineat Parochiale beneficium, non intendens ad Sacerdotium promoveri, talis non faciat fructus suos, nisi intra eundem annum pravam mutaverit voluntatem, & se fecerit promoveri. Vide Garziam *part 3. cap. 4. num. 58. de Benefic. & Theaur. par. 2. Verb. Beneficium. cap. 4.* Secundus est in *Clement. 1. §. Quia verò, de statu Monachor. ubi ipso facto excommuni-*

cantur Monachi, & Canonici Regulares se conferentes ad Curias Principum Sacularium hoc animo, ut suis Prælati, aut Monasteriis damnum aliquod inferant. Theaur. *de Pen. Ecclesiastic. d. part. 2. Verb. Curia, cap. 10.* Tertius est in decreto Concilii Trident. *sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 5.* ubi juxta stylum Curie; qui copulam incestuosam committunt cum intentione futuri matrimonii, seu facilioris dispensationis, non possunt legitimam dispensationem obtinere, nisi exprimant dictam intentionem. Sanchez *de Matrim. lib. 8. disp. 25. num. 38.* Garzias *part. 8. cap. 3. num. 93.* Gutierrez *de Matrim. cap. 124. num. 13. & 14.* Quartus est in *Clement. 1. §. Verum quia nimis, de Hæret.* ubi Episcopus afficitur pœna suspensionis per triennium, Inquisitor, & alii plebuntur pœna excommunicationis, si omiserint procedere in Officio Sanctæ Inquisitionis, ubi fuerit procedendum, causa odii, amoris, gratiæ, vel luctu temporalis. Theaur. *ubi supra verb. Inquisitor. cap. 5.* Quintus est in *bulla 12. Pauli Quarti; incipit: Inter ceteras,* ubi sunt excommunicati ipso facto, & aliis pœnis affecti illi, qui in Romana Curia procurant beneficia vel pro se, vel pro aliquo etiam ignorante, cum spe, aut animo lucrandi pensionem in resignatione, vel recipiendi aliquod commodum temporale. Gonzal. *gloss. 15. num. 89. & Garzias de Benefic. part. 11. c. 3. num. 191.* Theaur. *par. 2. Verb. Simonia cap. 5.* Alii plures casus possent adduci, quos ex brevitate omitimus, & passim legentibus occurrunt.

5. *Quar.* Quando sint mortalia peccata actus interni turpes, seu de re mala? *Resp.* Quando de eis homo morose delectatur. Bonacin. *De iis, quæ pertinent ad usum Matrim. qu. 4. punct. 8. num. 1. tom. 1. pag. 366.*

6. *Quar.* Quid sit Morosa delectatio? *Resp.* Delectatio morosa est, quando homo advertenter delectatur de re mala, seu turpi. Et ideò delectatio morosa talis non dicitur à mora temporis, eò quòd aliquis in ea immoretur; sed à mora rationis; tunc scilicet, quando homo advertit rem, quam cogitat, esse turpem, seu malam, & nihilominus vult ea delectari. Unde, qui de re mala delectatur, non advertens ad malitiam ejus, non censetur peccare, saltem mortaliter. Bonac. *ubi supra.*

7. *Quar.* Quale peccatum sit Delectatio morosa de re mala, seu turpi? *Resp.* Si ea sit cum actu efficaci, id est, cum deliberatione exequendi illam rem turpem, seu malam, est peccatum mortale. Si verò sit cum actu inefficaci, id est, non cum desiderio exequendi, sed solum ex delectatione rei turpis, seu malæ in abstracto; hoc in casu erit mortale, si sit de gravi damno proximi, vel cum periculo consensus in grave peccatum. Erit autem veniale tantum, si sit absque periculo consensus, vel ex levi otiositate. Bonac. *ubi supra num. 5. 6. & 7. ubi num. 10. & 11.* subdit, eos peccare venialiter, qui delectantur de re turpi, aut mala, non quatenus tali, sed vel ex ingenio, industria, seu fortitu.